



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 712. An & qualiter eadem res sæpius legari possit cum effectu solvendi eam sæpius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

favorem ultimarum voluntatum. §. 22. in fin. *Inst. de legat. l. 2. ff. de opt. legat.* nisi aliter testator dixerit. Lauterb. §. 35. quæ testatoris voluntas contraria non tantum probatur ex ipsis verbis, sed sæpe colligitur ex circumstantiis aliisque præsumptionibus, ut si verba ad heredem dixerit, concessa huic videatur electio, & legatario, si ad eum verba dixerit. Muller. *l. c. Lit. n.* uti &, dum non apparet, de qua re senserit testator, vel etiam si quantitas in genere legata, penes heredem est electio. *l. 4. ff. de rit. vin. vel oleo legat.* Lauterb. §. 36. quando autem electio est penes heredem, nec rem optimam, nec pessimam dare debet; nec legatarius rem pessimam acceptare tenetur. *l. 37. pr. l. 110. ff. de legat. 1.* Muller. *l. c. Lit. S.* nisi tamen non adsit mediocritas; eò quòd tunc censetur testator non voluisse heredem gravare ad dandam optimam, ut Muller. *l. c.* aliàs hæres præstare debet talem, ne de evictione teneatur, quam imminentem legatarius ante litis contestationem heredi denunciare debet. *l. 29. §. 3. ff. de legat. 3.* Lauterb. *l. c. §. 36.* Sed neque, dum electio est penes legatarium, ejus libertas est absoluta, sed restricta, ita ut, dum Titio legatus est equus, electio restricta sit; ut non optimum ex equis à testatore relictis, sed mediocrem eligere possit. *cit. l. 37.* in legatis tamen ad pias causas juxta *l. 57. §. fin. ff. de aur. & argent. legat.* uti & in legatis ad dotem juxta *l. 57. ff. de jur. dot.* semper optimum legatum censetur. Lauterb. Muller. *LL. cit.* semel autem facta electione, voluntatem mutare non licet. *l. 20. ff. de opt. legat.* nisi cohæredes electionem impugnent, vel electio sit inefficax. Lauterb. *l. c.* cum Brunem. *ad l. 5. ff. de legat. 1. num. 3.* neque partim in uno partim in altero eligere permittitur. Idem cum Clud. *de cond. indeb. num. 58.* de hac electione vide Vafq. *l. c. & Molin. d. 198.* uti etiam, num Ecclesiæ legatum solvi debeat in summo rigore. Dianam. *Tom. 2. tr. 6. miscell. resol. 29.* ad quos remittit de Lugo. *l. c.*

Quæst. 711. An & qualiter res universalis legari possit?

RESP. non tantum res singularis, sed & universalis. v. g. certa bonorum vel hæreditatis pars (qualiter tamen legatum partis bonorum differat à legato partis hæreditatis, dicitur paulò post) legari seu titulo legati obvenire potest. §. 15. *pr. Inst. l. 23. & 26. ff. de legat. 1.* dicitur autem persona illa, cui à defuncto portio bonorum aut hæreditatis titulo legati relicta, partiaris, §. 5. & 6. *Inst. de fideicom. hered.* Muller. *in ff. de legat. th. 13. Lit. B.* differt autem hic partiaris legatarius ab hærede, quòd legati titulo, ac ita directis verbis & titulo singulari relicta sive pars hæreditatis; hæres verò titulo universalis instituitur, etiam dum talis instituitur in parte hæreditatis. Muller. *l. c. Lit. y.* non enim in eo casu legatarius talis fit hæres aut successor universalis, sed est & manet particularis. siquidem, ut quis fiat successor universalis, non sufficit objecti universalitas, sed & imprimis titulus succedendi quoque ex dispositione legis universalis esse debet. Muller. *l. c. Lit. P.* Lauterb. §. 37. Arg. *l. 76 §. 1. ff. de legat. 3.* quemadmodum qui hæreditatem emit & manet successor particularis, & in eum neque activè neque passivè actiones defuncti transeunt directè; quia non representat defunctum, sed tantum partem rerum hæreditariarum ab hærede consequitur sine juris universalitate. Lauterb. *l. c.* unde & nomina & actiones, si quæ sunt in hæreditate, illi cedendæ

pro sua parte ab hærede contra debitorem. Muller. *l. c. Lit. e.* Arg. §. 21. *Inst. de legat.* quæ à legatario partiaris contra eum moveri nequeunt, priusquam ei ab hærede cesset, quamvis ad cedendum eas eundem actione personali compellere possit. Muller. *l. c.* & hinc interponuntur stipulationes partis & de parte inter hæredem & hunc legatarium, hoc est, de lucro & damno communicando. Lauterb. §. 17. de quibus stipulationibus utrumque interponendis vide Muller. *l. c. Lit. n.* cum hæres insolidum sit & maneat talis, & consequenter in solidum obligatus creditoribus, etsi as alienum à se solum reperere possit à legatario partiaris. §. 5. & 6. *Inst. de fideicom. hered.* differunt de cætero legatum partis bonorum à legato partis hæreditatis, quod in eoducedenda primò as alienum aliaque onera omnia; cum bona non dicantur nisi deducto ære alieno, juxta *l. 9. ff. de legat. 2.* de qua deductione æris alieni vide pluribus Muller. *l. c. Lit. Z. & n.* in legata verò parte hæreditatis, oneribus nondum deductis, instituenda divisio inter heredem & legatarium, ita tamen, ut omnia onera, etiam funeris impena, in vim dictarum stipulationum agnoscere teneatur legatarius. *l. 8. §. fin. ff. de legat. 2.* atque ita, ut ait Lauterb. legatum universale naturam legati mutat, & legatarius evadit hæres. Parte autem hæreditatis legata, hæres habet electionem, num partes vel earum æstimationem præstare maluerit; dum nimirum sine damno earum divisio fieri potest; si fieri nequit, æstimatio ab hærede omnimodò præstanda. *l. 26. §. 2. ff. de legat.* res tamen etiam tunc dari potest legatario consentiente, vel Judice æstimante. *l. 27. ff. eod.* Lauterb. §. 27. in fine. cum Brunem. *in cit. ll. 26. & 27. & Barry. de success. lib. 9. tit. 6. num. 1.*

Quæst. 712. An & qualiter eadem res sæpius legari possit cum effectu solvendi eam sæpius?

RESP. pro diversitate casuum diversimodè respondendum, nam primò si eadem res in individo legata ab eodem in testamento & codicillo aliave scriptura eidem legatur pluries, res ipsa aut ejus æstimatio non nisi semel tantum debet solvi, neque etiam præter rem ipsam præstitam potest peti ejus æstimatio, nisi aliud constet de contraria voluntate testatoris. *l. 34. §. 1. ff. de legat. 1.* de Lugo. *l. c. num. 274.* contrarium tenere videtur Lauterb. §. 29. dum ait: si reseadem ab eodem legata in diversis scripturis, ita ut, si ex una sit consecutus æstimationem, ex altera rem ipsam adhuc petere possit juxta *l. 34. §. 2. juncto §. 6. Inst. de legat.* ob rationem in *l. 88. de V. S.* Secus, si in eadem scriptura pluries legatur.

2. Secundò: si eadem res à diversis testatoribus, quorum unus non est hæres alterius, legatur eidem Titio, isque eam jam habet ex testamento unius, & securè possidet, non potest ejus æstimationem ab alterius testatoris hærede petere. §. *si cui res aliena. & §. si cui fundus. Inst. de legat.* si tamen ex primo æstimationem recepit, postet rem ipsam à secundo petere de Lugo. *l. c.* Struv. *ad ff. de legat. th. 11. Lit. a.* Muller. *ibid.* Idem est, ut de Lugo, siftestator gravavit duos hæredes singulos in solidum, ut rem eandem darent Titio.

3. Tertiò: quando eadem quantitas bis in eodem testamento aut codicillo legatur eidem, semel tantum debetur, & non præsumitur, testatorem legatum multiplicare voluisse, nisi hoc legatarius

evidentissimis probationibus ostenderit. l. 34. §. 3. l. 86. §. 1. ff. de legat. 1. l. 66. §. 5. ff. de legat. 2. de Lugo. l. c. num. 275. Lauterb. cu. §. 29. imò, ut de Lugo, si primò legetur absolute, & dein in eodem testamento sub conditione, censetur revocatum legatum purè, & relictum solum conditionate, & è contra. Item si primò legata quantitas major, & postea minor, vel è contra, censetur prima dispositio revocata. L. certum. ff. de adimend. legat. si verò in diversis instrumentis, ut in testamento & codicillo eadem vel diversa quantitas legatur, utraque debetur, nisi contraria testatoris intentio ab herede probetur. Idem est, si in altero instrumento legatur cum alia varietate, quò ad qualitatem, tempus, locum. L. quinquaginta. ff. de probat. Lugo. l. c. has num. 276. addens limitationes: nisi eadem vel diversa quantitas in diversis instrumentis legatur ad eundem finem. v. g. ad alimenta, quo casu dicit standum posteriori per L. libertis quos. ff. de alm. & cibar. legat. vel nisi testamenta facta simul, & testator unum sibi reservavit, quo casu, si quantitas est diversa, minor debeatur; quia hæres est in possessione, pro quo posteriore citat Molin.

4. Quartò dum eadem res. v. g. decem modii tritici legatur pluribus. v. g. Titio & Cajo, si simul seu conjunctum, cuius legatariorum præstatur, non in solidum, sed singulis dimidia pars. ubi enim duæ personæ in eadem oratione per voculam & conjunguntur, ad commodum vel onus censentur communicative & collectivè, non distributive, ut fiat divisio inter eas. Muller. l. c. lit. y. Lugo. l. c. num. 277. si verò eadem res seorsum legatur pluribus, cum potuerit testator posteriore legato prius revocare, vel prior legatario addere socium, vel singulis legare in solidum non revocando prius, de quo forte non cogitavit, vel si cogitaverit, voluit, ut res uni, alteri æstimatio detur; hincinquam, in his primò attendenda & præferenda intentio testatoris, si de ea constare possit. & quidem si primo modo legavit, priori legatario nihil debetur. Si secundò modo, singulis debetur in solidum. Si tertio modo, illi ex legataris conceditur electio circa rem & æstimationem, qui prior petierit. ita de Lugo l. c. citatis. L. si pluribus. L. si planè. ff. de legat. 1. L. qui duos ff. de legat. 2. L. si res mihi. ff. de legat. 3. & si res primo legatario petenti tradita absque culpa hæredis pereat, antequam secundus petat, huic non debetur æstimationem; quia hæc non debebatur nisi in defectum rei, quæ si non exstat amplius substantia legati expirat. ita apud de Lugo Molin. d. 199. Valq. de testam. c. 8. §. 4. du. 12. Arg. L. Titia textores. §. fin. & L. filiusfamilias. §. fin. ff. de legat. 1. quòd si verò de tali intentione testatoris non constiterit, inherendum dicit Lugo principiis, de quibus Jurisconsultus in l. 33. ff. de legat. nimirum non præsumi prius legatum revocatum, nisi id evidentissimè appareat. ex ea ratione, quòd non censetur in eadem scriptura mutasse voluntatem revocando legatum, nisi id declaret; uti nec præsumi possit oblivio legati in eodem instrumento prius facti. & præsumi omnes pro virili portione, hoc est, per æquales partes ad legatum vocari, nisi ex scriptura manifestum sit singulis in solidum relictum legatum, ex ea ratione, quòd modus ille legandi pluribus in solidum rem eandem sit inusitatus & extraordinarius; adeoque recte in dubio censetur non adhibitus ex intentione testatoris, sed potius contrarius, qui communis & usitatus est, nimirum vocando plures legatarios simul seu ad æquales partes.

R. P. Lenz. Jur. Can. Lib. III.

Quæst. 713. An legari possit inutile?

Resp. legatum, ex quo legatarius nihil commodi acquirit (quale est legatum v. g. debiti puri absque interfusio, hoc est, sine incremento ipsius debiti, contingente ex quantitate debite auctione, vel ex remissione modi, temporis, conditionis, loci, perpetuæ exceptionis, & absque repræsentatione, quæ est solutio alicujus ante diem, quâ solvi debebat) inutiliter legatur v. g. creditori, & videtur consequenter in ratione legati nullum esse. Duaren. ad l. 28. & seq. ff. de legat. 1. Cujac. ibid. Donell. comm. civil. c. 11. Vinn. ad §. 14. Inst. de legat. Ludvv. exercit. 9. rh. 4. lit. B. & plurimi alii apud Muller. in ff. de legat. rh. 12. lit. a. dicentem sic statuere ad unum omnes Interpretes provocantes ad §. 14. Inst. de legat. plurimosque textus alios ab eo citatos, quamvis dissentiat Gunther. Martini in dissert. hac super quæst. ab eo adit. ubi rh. 4. & seq. asserit, legatum debiti puri absque interfusio & repræsentatione relictum creditori valere & subsistere ex ea ratione, quòd res eadem possit deberi ex pluribus causis, puta, ex contractu, legato aliave causa, unde nascatur multiplex actio, quam expediat competere alicui, & in præsentem creditori. Porrò vide apud Muller. l. c. à num. 8. plura exempla, in quibus propter repræsentationem legatum debiti factum creditori evadat utile, & consequenter subsistat.

Quæst. 714. Diem legati cedere quid sit, & quando cedat?

1. Resp. ad primum: diem legatorum cedere nihil est aliud quàm legata incipere deberi, hoc est, quando obligatio, quâ legata & fideicommissa debentur, primò nascitur. l. 213. ff. de V. S. unde aliud est, cedere diem legati, & aliud, illud aut ejus dominium acquiri; nec à cessione diei ad illius acquisitionem valet argumentatio. dies autem venire dicitur, quando res legata peti potest.

2. Resp. ad secundum primò: tamen si de jure veteri legata non nisi à die apertarum tabularum & aditæ hæreditatis cedebant; hodierno tamen jure legati puri (quale dicitur illud, cui nihil adjectum, quòd vel obligationem vel exactionem illius differre possit; quare etiam adhuc est, quòd sub modo relinquatur; cum non omnis adjectio faciat legatum non purum, sed tantum duæ ejus species, nimirum conditio & dies. Lauterb. ad ff. quand. dies legat. §. 3.) dies cedit ex die mortis testatoris, licet necdum agnatum. l. 5. §. 1. ff. quand. dies legat. l. unic. §. 1. & §. c. de caduc. toll. Idque, si sit legatum particulare, si ve univèrsale. Carpz. 7. F. p. 3. c. 14. d. 23. n. 11. Lauterb. l. c. §. 4. quamvis enim non nisi per additionem hæreditatis hæres quasi ex contractu legatariis & fideicommissariis obligetur. l. 5. §. 2. ff. de O. & A. fideione juris obligatio fingitur nata mortis tempore, & ex eo tempore hæres successisse defuncto intelligitur. l. 19. §. 3. ff. de R. I. Peregr. de fideicom. a. 31. n. 2. & 3. Lauterb. l. c. Idque etiam si hæres sub conditione institutus & legatarius ante existentiam conditionis mortuus sit. v. g. dum testator dixit: Titius, si navis ex Asia redierit, hæres esto, & dein subjunxit; Titius Cajo centum dato: quia legatum adhuc purum est, non obstante hæredis institutione conditionata, illiusque spes ad Caji hæredes transmittitur, & conditione illa eveniente, tempus illud retrahitur & conjungitur cum die mortis. l. 7. §. 1. l. 19. §. 2. ff. quand. dies legat. Lauterb. l. c. Ut autem hæc cessio legatorum purorum locum habeat, requiritur primò, ut legatarius sit superstes testatori; legatarius

T t t

rius